

habeant, an infaniz & stoliditatis, existima; quamque proximus sit atq; suppar stupori Spinosz eorum stupor, qui pecudem hanc sequi, & hominem mirari se profitentur, non solum Scripturaz sacraz, omnisque Theologia ac sinceraz Philosophiaz, meliorumque literarum plane rudem, sed permediocrem etiam ingenio, & ad ratiocinandum, causasque & consequentias rerum videndas satis obtusum; quique Spinosistas appellari se patiuntur.

CAPUT VIII.

Res ad Religionem Christianam pertinentes cognoscuntur, vel per Rationem solam, vel per Rationem atque Fidem, vel per solam Fidem: & de iis sigillatim agitur.

- I. Res ad Religionem Christianam pertinentes cognoscuntur, vel per Rationem, vel per Rationem atque Fidem, vel per Fidem.
- II. De rebus ad Religionem Christianam pertinentibus, quae cognoscuntur per solam Rationem;
- III. Et de iis, quae cognoscuntur per Fidem & Rationem.
- IV. Uter firmior sit assensus Fidei, an Rationis.
- V. De iis demum, quae per solam Fidem cognoscuntur.

CONSTITUTA Fidem inter & Rationem pace, & latis pacis conditionibus, superest, ut certis terminis circumscribatur ditio utriusque. Nam cum triplex sit rerum percipiendarum instrumentum, Sensus, Ratio atque Fides; priora duo, quantum ad hanc disputationem spectat, unico Rationis vocabulo comprehendimus. Quippe & sensuum usus est in rebus Fidei: vidit enim Thomas, & credidit: verum antequam crederet, quod viderat, interposuit se Ratio, & credibile id esse, quod videbatur, atque etiam credi debere, iudicavit. Merito igitur Rationis nomine sensus quoque hic significamus. Res autem, quae pertinent ad Religionem Christianam, vel cognoscuntur per solam Rationem, vel per Rationem atque Fidem, vel per Fidem solam. Triplex hac rerum classis seorsum spectanda est. Quod antequam facio, monitum te velim, ne antiquam mihi esse propositum, singulas colligere, & accuratam earum enumerationem instituire; quod nec postulas à me, neque, si velim, im-

Res ad Religionem Christianam pertinentes cognoscuntur, vel per Rationem solam, vel per Rationem atque Fidem, vel per solam Fidem.

im-